

EXERCITATIO LVI.

Quòd aliqua substantia in nihilum abeat, nullo exemplo aut argumento posse doceri,

1. **S**ecunda causa, cur faciliùs sibi persuadeant nonnulli homines, animam rationalem posse interire, est quòd multa quotidie exempla annihilationis se putent observare, cùm nempe res desinunt oculos & sensus afficere, sub quos quia anima non cadit, eò citiùs creditur cum corpore evanescere.

2. Sed argumentum hoc nullum est, quia non sequitur, rem ideo esse desinere, quòd videri aut alio sensu percipi desinat (quomodo enim probabis, omnia debere semper esse visibilia aut sensibilia?) multò minùs hoc sequitur de re intellectuali, quæ in sensus atque oculos nunquam incurrit, cujusmodi res est anima nostra. Confer logicæ part. prim. quæst. 128.

3. Deinde argumentum planè est invertendum hoc modo: cujus rei nullum argumentum, nullum omnino exemplum habemus, ea non est asserenda: atqui annihilationis alicujus substantiæ nullum argumen
gumen